

2. per Tribunos.

480

Albinus Maurus : qui hos secuti sint non reperio . At credibile est , eam administrationis formam usque ad Athilæ adventum permanisse . Quibus temporibus quum jam circumjectæ insulæ incolæ cœpissent , Tribuni pro Consulibus cœpti sunt creari . Apud nonnullos scriptum reperio , aliquanto post Athilæ adventum id factum , ut anno circiter sexagesimo ab urbe condita tribunitia potestas cœperit in insulis haberi , ubi jam omnia frequentius incolerentur . De Tribunorum creatione res primo est , ut solet , inter paucos agitata : inde frequentissimo insulanorum conventu decretum , ut in singulis insulis singuli Tribuni crearentur , essetque is magistratus annuus : suis popularibus jus diceret , severaque animadversione scelera vindicaret ; cætera vero quæ ad reipublicæ statum attinerent , frequentissimo insulanorum concilio consultanda reliquere . Adhuc quæ scripsimus , si quis recte omnia consideret , ad originem urbis spectant : hinc de ejus infantia dicere incipiemus : sic enim quibusdam scriptoribus video placuisse , in quibus est Florus , ut incrementa Urbis per partes quasdam humanæ vitæ distinguerent , infantiam , adolescentiam , & juventam . Tribunitia igitur administratio quæ origini juncta est , Infantia jure optimo nominabitur .

Gesta.

De his igitur quæ interim domi forisque gesta sunt , ordine dicemus : si prius illud lectori testatum reliquerimus , Longobardicis temporibus , quæ in urbis infantiam incidunt , magna ex parte auctam civitatem . Nam ita sane accidit , ut Venetis rebus adhuc Hunnico tumultu trepidantibus , Longobardi , qui ab eo quod longam barbam alerent , ita nominati dicuntur , Alboino duce , undecimo ejus gentis Rege , Italiam ingressi Venetos invaserint , quorum opes longe ante fractas primo adventu oppressere . Quicquid enim continentis oræ fuit , continuo suæ ditionis fecere : maritimas vires , quas haud utique contemptibiles esse noverant , tentare non sunt ausi , aut certe in opportunum tempus distulere . Ex Scandinavia Germanici oceani insula gens ipsa oriunda dicitur : quæ quum multos ante annos Godocho rege circa Danubium provinciam Populi Romani sollicitare cœpisset